

Heinrich Rahn Melchior Albert Reichardt

## **Dissertatio Inauguralis De Appellationibus**

Rostochii: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766450597>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.  
Z 16.7

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

42.18



DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
APPELLATIONIBVS

34a

*Quam*  
AUXILIANTE SACROSANCTA  
TRIADE  
EX DECRETO ET AUTORITATE  
MAGNIFICI ATQ; AMPLISSIMI ICTO-  
RUM ORDINIS IN CELEBERRIMA RO-  
STOCHIENSI ACADEMIA

*SUB PRÆSIDIO*

NOBILISSIMI AMPLISSIMI AC  
CONSULTISSIMI VIRI

DN. HENRICI *Rahnen*, Icti,  
Profess. celeberrimi ac Facultatis Juri-  
dicæ hodie DECANI spectatissimi, Dn. Præ-  
ceptoris Promotoris ac Patroni sui æternum  
venerandi

Pro summis in utroq; jure Privilegiis  
& honoribus Doctoralibus consequendis  
Publicè examinandam proponit

MELCHIOR ALBRECHT

*Reichardts* / HANNOVERANUS,

*In Auditorio Majori ad diem 22. Junij. Horis  
ante & pomeridianis.*

---

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academia Typogr.  
ANNO M. DC. XLVII,



REVERENDISS<sup>mo</sup> SERENISS<sup>mo</sup>  
ILLUST<sup>ro</sup>

PRINCIPI AC DOMINO

DN. FRIDERICO,  
POSTULATO COADJUTORI  
RATZEBURGENSEI ET ELECTO  
PRÆPOSITO BREMENSI

DUCI BRUNSVICENSIS ET LUNE-  
BURGENSI

DOMINO SUO CLEMENTIS-  
SIMO

*Disputationem hanc Inauguralem in hu-  
milima subjectionis signum cum de-  
vota sui commendatione*

Submissè offert & consecrat

Melchior Albrecht Reichardt.



I. N. D. N. J. C.  
DISPUTATIONIS INAUGURALIS  
DE  
APPELLATIONIBUS

THESIS I.



Um frequentissima sit materia Appellationum & cognitu perquam necessaria, præ cæteris eam elaboratione dignam judicavimus. Verùm cum etiam sit difficilis maximè, ac merito amplissimum differendi campum requirat; Nos non pro materiæ amplitudine aut dignitate, sed pro vicino modulo ac ratione celeberrimæ hujus Academiæ statuti, impetrato prius Divini Numinis præsidio, eandem pertractabimus.

II.

Et quoniã vocab. Appellationis non uno modo in jure nostro sumitur, primò omnium, antequam rem ipsam aggrediamur, explicanda erit ejus æquivocatio. 1. Appellare significat nominare, vocare *l. 1. pr. & §. 1. ff. de iust. & jur. pr. Inst. de test. ord. §. 1. in fin. de Interdict. l. 224. & l. 244. de v. s.* 2. De solutione debiti apud judicem interpellare, *l. 16. §. 6. de fidejuss.* 3. Blandâ oratione puellæ vel mulieris pudicitiam attentare *l. 15. §. 20. ff. de injur.* 4. Appellare dicitur provocare à judice minore ad majorem ad cognoscendum de iniquitate sententiæ à minore prolata *l. 1. §. 3. ff. de app. Nov. 23. c. 4.* Ab inferiore enim ad superiorem rectè appellatur, non verò contrà, ut patet *ex all. l. 1. §. 3. & Nov. 23. c. 4.* ac etiam de natura & substantia appellationis esse docet Maranta *Spec. aur. part. 6. n. 3. h. t.* Ipsaque recta ratio suadet ac dicitur errorem aut delictum à tali puniri ac corrigi qui superior est ipso errante aut delinquente, juxta *e. inferior. 16. de Major & obed.*

*Homonymia vocab.*

A 2

III. Qnæ



III.

*Definitio.* Quæ ultima acceptio cum nostro instituto faveat, definimus, quod Appellatio fit ab inferiore iudice ad superiorem gradatim facta provocatio *Barr. in l. appellandi. 1. pr. ff. de App. Wesenb. in π. d. s. n. 3. Treutl. vol. 2. Diss. ult. tb. 1.* Dicimus gradatim ad proximè superiorem appellandum esse, quod regulariter verum est, tam de Jure Civili, quam Canonico, adeò ut appellatio, omisso medio, facta etiam ad Imperatorem, remitti debeat ad medium vel omissum iudicem, & vires non habeat *l. 21. pr. C. §. 1. ff. de App. c. 66. X. eod. Ord. Cam. part. 2. t. 29. pr. Myns. 1. obs. 67. Gail. 1. obs. 119. n. 2.*

IV.

*Origo.* Si originem ejus ortumq; consideremus, Appellatio vetustissima & antiquissima est, quod tum ex historicis profanis ut *Livy. lib. 1. decad. 1. Val. Max. lib. 4. c. 1. Arist. 2. Pol. c. 6.* & aliis multis, tum etiam ex ipsis sacris literis satis evidenter apparet. Sic *Actor. 25. v. 10.* clarum ac dilucidum exemplum Apostoli Pauli habemus, qui, ne à Judæis & Portio Festo opprimeretur ad Cæsarem appellavit. Neque errare eos arbitramur, qui ab ipso jure naturæ profectam appellationem affirmant, cum defensionis, quam natura suggerit, sit species *c. cum speciali. 61. vers. Porro. Extr. de Appellat.* Quare etiam nec statuto vel consuetudine tolli potest *Myns. 1. obs. 14. Gail. 1. obs. 135. n. 12. Ord. Cam. part. 2. t. 28. §. vñd dierweil bisshero.* Pacto tamen renunciari appellationi potest. Ratio diversitatis est, quod statutum directo statuat adversus jus superioris, pactū verò directò non tangat ipsū jus superioris, sed paciscentes abdicant à se, quod est in eorum facultate, juxta *l. ult. §. fin. C. de Temp. C. Reparat. app. l. 1. §. 3. ff. A quib. app. non lic. Ord. Cam. part. 2. t. 28. §. vñd wicwol. vers. Es were dann. Panorm. in c. eum dilectus. 6. n. 8. de Arbitr. Eberb. in Top. à pacto ad legem. n. 9. Roland. à Valle. Conf. 29. n. 3. C. seqq.*

V.

*Divisio.* Porro omnis Appellatio fit in iudicio, vel extra iudicium, hinc commodissimè dividitur in Judicialem & Extrajudicialem, probaturque hæc divisio *c. cum sit Romana. §. X. de app.* ubi licet Extrajudicialis appellatio tantum dicatur provocatio ad causam, alibi tamen expressè Appellatio vocatur *Clem. sicut. 3. de app. c. 1. c. concertationi. 8. eod. in Sex.* Illa est, quæ à sententiis & interlocutionibus, Hæc quæ ab actibus & decretis extrajudicialibus interponitur *l. 2. ff. de App. recip. l. 1. §. 3. Quand. app. l. 2. C. 24.*

34  
§ 24. C. de App. d. e. concertationi. eod. tit. in sexto. Wesenb. in w. b. tit. n. 6. Treutl. disp. ult. vol. 2. th. 1. De differentia Extrajudicialis & Judicialis vide Petr. Gregor. Tholos. lib. I. c. II. n. 3. & Panorm. e. bona memoria. si. n. 7. 8. 9. & seqq. de App. Mejer. in colleg. Argent. Lib. 49. tit. 1. §. 6.

VI.

Appellare cuilibet regulariter est permiffum, non solum qui inique *Personae,*  
à iudice condemnatus, vel gravatus, verum etiã illi, cujus interest sententia *que pos-*  
tiam latam non esse *arg. l. 30. C. b. t. l. 4. §. 2. l. 5. pr. ff. eod. l. 1. de app. sint appel-*  
*resip. cap. omnium oppressus. 3. qu. 6. Treutl. d. Disp. ult. vol. 2. th. 2. ibiq. late.*  
Bach. lit. A. & F. circ. fin. Vant. de Nullis. c. 4. n. 4.

VII.

Per gravatum autem & condemnatum non modo intelligitur is,  
qui in rei veritate injuste gravatus, aut condemnatus est, sed quicumque  
probabiliter tantum sibi videtur gravatus, sub hocque pretextu superio-  
rem provocat ejusque auxilium implorat l. 13. §. 1. ff. b. t. C. si quis puta-  
verit. 7. cap. quoties. 15. 2. quest. 6.

VIII.

Nec interest unusne ex consortibus, an plures eorum nomine ap-  
pellent: unius enim victoria ad reliquos omnes pertinet iisq; prodest l. 1.  
& 2. C. si unus ex plur. appell. l. 10. §. 2. & 4. ff. b. t. C. una sententia 72.  
X. eod. Gail. 1. obs. 122. n. 7. Covarr. Pract. quest. cap. 15. n. 1. Modò  
omnium una eademque sit defensionis causa & condemnatio tot. tit. C.  
si unus ex plur. d. l. 10. §. fin. de app. Petr. Gregor. Tholos. in tr. de App.  
lib. 5. n. 3.

IX.

Non modò principales ipsi, verum etiã alii eorum nomine, ut Tu-  
tores, Curatores rectè riteque appellant l. 4. §. fin. l. 17. l. 24. pr. & §. 1.  
l. 27. ff. b. t.

X.

Procurator verò non solum potest, sed maximè tenetur appellare,  
licet hoc in mandatis non habeat l. 2. & 15. C. de Procurat. l. 13. ff. de app.  
l. 9. C. eod. Appellationem tamen interpositam prosequi invitus non  
tenetur d. l. invitus. 17. C. de Procur. ibiq; Peretz circa fin. tit. n. 22. cap.  
Non injuste 14. in fin. X. eod. tit. Gail. 1. obs. 119. n. 9. & 11. Hartm. Hart-  
man. Pract. For. Lib. 2. §. 19. obs. 3. n. 8. Bocer. claus. 11. Disp. 6. th. 61.

XI.

Negotiorum gestores etiam hoc Appellationis beneficio rectè uti possunt *l. 1. pr. ff. de app. recip. l. 24. pr. ff. de app. l. 64. pr. de re jud.* Item Maritus pro uxore *l. 11. fin. C. de Pact. convent. l. 21. C. de Procur. Gail. 1. obs. 133. n. 6. & seq.* Non verò uxor pro marito appellat, nisi pro marito captivo agat *l. 3. § 2. ff. de liber. causa. Gail. d. obs. 133. n. 8.* quod speciale est, ob favorem sc. libertatis, ut rectè notat *Gothofr. ad d. l. 3.* cum aliàs fœmina non nisi in rem suam sive in propria causa admittatur vel agere possit *l. 4. C. de Procur. l. 2. in fin. ad SC. Vellejan. jung. l. 1. §. 5. de postul.*

XII.

Dominus pro subditis etiam liberam appellandi facultatem habet, si ejus interfit & in præjudicium ipsius vergat, quod subditis suis imponitur *l. 11. ff. de publ. jud. l. 18. ff. b. t. l. 17. ff. l. 2. C. de Accus. Gail. 1. obs. 125. n. 3. & 7.*

XIII.

Omnes, ut modò vidimus, quorum interest, sententiam retractari, rectè appellant, juxt. *l. 4. §. 2. ff. de app.*

XIV.

Sequuntur jam personæ, quæ non possunt appellare. Hæ verò primò sunt servi, qui cum legitimam personam standi in judicio non habent, Domini eorum nomine appellare tenentur *l. 15. l. 18. l. fin. pr. ff. b. t.* Sin autem neq; dominus, neq; alius pro domino appellaverit, ipsi servo, qui iniquam passus est sententiam, auxilium appellationis non denegatur *d. l. 15. b. t.*

XV.

Deinde appellare prohibentur convicti & delictum confessi *l. 2. C. Quor. app. non recip.* modò tamen sponte ac nullà cogente necessitate id fiat, vi enim ac metu tormentorum confessus ac convictus nihil sibi præjudicat *d. l. 2. in fin. ibi aut formidine. Mynf. 5. obs. 23. per tot. Gail. lib. 1. de pac. publ. cap. 15. n. 8. & seqq.* An autem non convicto sola spontanea confessio provocandi licentiam adimat inter Dd. lis est, Affirmamus, nisi quis evidenter erraverit in facto consistendo: tum enim usque ad sententiam potest errorem suum corrigere, revocare, ac probare contrarium *l. sententiâ. 3. C. de Error. Advoc. l. error. 7. C. de jur. & fact. ignor. & ideo appellat, ut corrigat l. 1. in fin. ad SC. Turp. l. 1. b. t. arg. l. 13. C. de non num. pec. Add. Brederqd., part. 1. tit. 23. fol. 48. 49. & seqq. Didac.*

COVART,

XVI.

Perdunt quoq; provocationis auxiliū condemnati ob male gestum officium *arg. l. 3. l. 4. & fin. C. quor. app. non recip.* Item illi qui huic beneficio legitimè renunciarunt *l. 1. §. si quis. 3. à quibus app. non licet.* Sive id factū sit per expressā conventionē, quod neutri litigantium appellare liceat *l. ult. §. fin. C. de temp. app. Ord. Cam. ord. part. 2. t. 28. §. vnd die weil bis dahero vers. fin. Es were dann.* Sive alteruter tantū professus sit, se à iudicis sententia non provocaturum *d. l. 1. §. si quis ff. à quib. app. non lic.* Et hoc est quod supra thesi quartā monuimus.

3.

4.

XVII.

Nec appellare possunt, qui propter contumaciam condemnati sunt, ut si quis, ad litem totam citatus, emanserit, cum venire potuerit, ab omni appellatione excluditur *l. 23. §. fin. ff. de app. l. 1. C. Quor. app. non recip. l. 4. in fin. eod. l. 53. ff. de rejud. l. 73. §. fin. de jud. l. properandum 13. §. cum a. 4. in fin. C. eod. Marant. Spec. aur. de App. part. 6 n. 14.* Ad contumaciam non incommodè referri potest eremodiciū, sive ex eremodicio condemnatus, h. e. qui ob interpositæ appellationis desertionem est condemnatus, de quo *vid. d. l. properandum §. 3 & 4. C. de jud.* Aliæ personæ, quibus appellandi facultas denegatur, recensentur *l. 2. C. Quor. app. non recip. l. 16. ff. h. t. l. unic. in fin. prin. C. de rap. virg. l. 1. pr. vers. Appellandi. C. de fals. mon.* Ad quas benevolū lectorem remittimus.

5.

XVIII.

Visis jam qui possint appellare, nec ne, restat, ut videamus, à quibus & ad quos appelletur. Appellari autem potest à quocunq; iudice, sive sit ordinarius sive delegatus, sive major sive minor *l. 16. l. 17. l. 19. l. 20. 21. 29. l. 32. pr. & §. 5 C. h. t. l. 9. ff. qui satūd. cog. l. 3. C. de ped. jud. l. 2. §. fin. a. C. de temp. & repar. appl. l. 1. 8. fin. C. de jud. & tot. tit. Quis & à quo app. Wurms. Pract. for. Tit. 24 obs. 15.* Nulla enim injuria iudici ex eo fit, si ab ejus sententia appelletur *d. l. 20. C. de app.* Modò tamen ob potentiam, vel majestatem, aut speciale aliquod privilegium appellatio prohibita non sit. Sic stolidum atq; absurdum foret, illud admonere, ab Imperatore appellandum non esse, cum & ipse sit, qui provocatur *l. 1. §. 1 ff. à quib. app. non lic.* Et est de substantia appellationis, si cut supra ad definitionem expositū, ut fiat de minore ad majorem iudicem

A quo iudice ritè appelletur.

judicem, per quem sententia inferioris corrigatur *Nov. 23. c. 4. l. 1. S. 3. h. 1.*

XIX.

Per Imperatorem autem talem intelligimus, qui superiorem præter DEUM & Ensem neminem plane recognoscit & illo nullus major, nullus sanctior reperitur, ad quem provocetur. *juxt. l. ult. pr. C. de LL. Nec ullis legibus tenetur, præterquam quibus ipsum natura, pietas & ipse se sponte officio suo monitus subjecit l. 31. ff. de LL. Nov. 105. c. 2. in fin. l. 4. C. de LL. l. 23. ff. de Legat. 3. §. fin. Inst. quib. mod. test. infirm.*

XX.

Et quamvis jus Canonicum ab Imperatore ad Pontificem appellari velit *c. 17. caus. 9. quest. 3. Clem. Pastoralis. de sent. & rejud. Contrarium tamen verius putamus, tum quod Pontifex argumentis suis nihil probet, utpote sibi ipsi hac in re testimonium ferens, quod merito ut in propria causa rejicitur arg. l. 10. ff. & l. 10. C. de test. Tum etiam quod contrarium satis constet ex SS. Bibliis, ut ex Luca c. 22. v. 25. 26. & seqq. Paul. ad Rom. c. 13. v. 1. 1. Petr. 2. v. 13. & 17. Luc. 12. v. 14. Imo ex constitutione Ludovici quarti poenâ criminis læsæ majestatis tenentur illi, qui vel arbitrantur tantum Imperatorem vel imperium Pontifici subesse, secundum Reinkingium *de Reg. sec. & Eccles. lib. 1. Class. 2. c. 4. n. 1. & 2.* Et hodie ad Pontificem appellans, etiam si causa pia & maximè favorabilis sit, ut tutelarum, multatur 50. marcis auri puri. Cujus præjudicium refert *Auctor. decis. Rom. Cam. sub tit. appellare quib. & c. fol. 31 à Reinkingio d. loco n. 10. citatus.**

XXI.

Non solum autem ab Imperatore appellare prohibetur, verum etiam ab omnibus aliis superiorem non recognoscentibus, vel speciale aliquod privilegium habentibus. Sic appellare olim non licuit à Præfecto Prætorio *l. 19. l. 30. l. 35. C. h. s. l. us C. de sent. Præf. Præf. l. 16. in fin. l. 17. ff. de min. l. 1. §. 1. ff. de off. Præf. Præf.* Quibus hodie in eo comparari possunt Electores Imperii, à quibus non appellatur secundum *aur. Bull. Caroli IV. Tit. Von der Churfürsten Freyheiten. II.* Tamen excepto Saxone & Brandenburgico à reliquis ex contraria consuetudine hodie provocatur *Treutl. part. 2. Disp. ult. tb. 4. lit. E* Solus enim Saxoniz & Brandenburgicus Elector hoc jus usq; hodiernum in diem salvum conservavit: ac illi quidem confirmatum adhuc est hoc privi

privilegium ab invictissimo Imperatore Ferdinando I. Anno 1559. Huic  
à Rudolpho II. Imp. Anno 1586. Reinking. de Reg. sec. & Eccl. lib. 1. ch.  
IV. c. VI. n. 3. & seqq.

X XII.

De Saxoniz Electore insuper illud notandum, quod hoc jus non tan-  
tum ipsum Electorem, sed insimul universam domum & omnes Du-  
ces Saxoniz concernat, secundum Heig. part. 1. qu. 4. n. 41. 42. & seqq.  
Andr. Knich. à Reink. d. loc. alleg. de Saxon. non provoc. jur. c. 2. n. 34.  
Bach. in not. ad Wesemb. Tit. à quib. appell. non lic.

XXIII.

Ex speciali Imperatorum Concessione simili exemptionis privi-  
legio etiam gaudent Archiduces Austriaz, Duces Lotharingiz, & Bur-  
gundiz Myns. 5. obs. 85. n. 2. Treutl. d. Diss. th. 4. lit. E. Item Dux Sabau-  
diz & Würtembergensis Matth. Wener. tom. 6. Synpor. c. 4. cumq; eo  
Ruvet. d. dissert. 2. th. 4. Limn. de jur. publ. lib. 5. c. 5. n. 11. Burgundiz  
verò Duces præ cæteris & hoc singulare habent, ut ne quidem in causa  
fractæ pacis publ. in Camera conveniri queant, sed ejus judicio exem-  
pti planè sint Myns. d. loc. Gail. 1. de Pac. publ. c. 11. n. 1. & 2. vid. etiam  
Reink. lib. 1. Claß. 4. c. 10. n. 9. & seqq.

XXIV.

A Camera etiam Imperiali non appellatur Recept. Imp. zu Augspurg.  
de Anno 1530. S. dieweil nun vnser Kammergericht. Ord. Cam. part. 3.  
tit. 51. Ex jure tamen communi Restitutionis in integrum beneficium,  
nec non Revisionis & Syndicatus supersunt Ord. Cam. par. 3. tit. 52. &  
53. Rittersb. ad Nov. 119. c. 5. pag. (mibi) 653. n. 5. & seqq. Gail. 1. obs.  
153. in pr.

XXV.

Quæritur hîc, Anne ab Arbitris & eorum sententiis appellatio de-  
tur? Disting. putamus inter arbitrum Voluntarium seu compromissa-  
rium, & Necessarium, qui auctoritate judicis constitutus est; ab illo appel-  
lari minimè potest, sed parendum ei, sive æquum, sive iniquum dixerit,  
sibi enim imputet, qui ita compromisit per stipulationem l. 27. §. 2. ff.  
de Arbitr. Et vera ratio non competentis appellationis hîc est, quod ve-  
rè nec arbiter judex, nec ejus pronunciatum sententia sit jur. l. 1. C. de

B

Re-

Recept. Arbitr. Bach. ad Tr. I. Diss. 12. th. 4. lit. D. Gail. i. obs. 150. n. 8.  
Ab hoc, Necessario sc. rectè appellatur l. 9. ff. qui satisd. cog. l. fin. ff. de quib.  
app. non lic.

XXVI.

Ab Executoribus meris appellari non posse, certo jure decisum est,  
l. ab executione. §. C. Quor. app. non recip. l. ab exsecutore 4. ff. b. t. l. 21.  
C. eod. cap. Quoad consultationem. 15. de sentent. & re jud. c. 43. X. de app.  
Wurms. 1. pract. 24. obs. 10. Roland à Valle 1. cons. 43. n. 5. Modò tam-  
en in executione modus non excedatur d. l. 5. C. Quor. app. non recip.  
Gail. de arrest. Imp. cap. 11. n. 20. Et tantùm de judice à quo,

XXVII.

Judex ad  
quem,

Videamus nunc ad quem rectè appelleretur, & diximus supr. thes. 3.  
Regulariter gradatim ab inferiore ad proximè superiorem appellandum  
esse juxt. l. 21. de app. Quod tamen fallit si intermedius judex mani-  
feste & expressè justitiam denegat, vel inhabilis aut suspectus sit, Ord.  
Cam. p. 2. t. 29. pr. Gail. 1. obs. 119. n. 2. Myns. 1. obs. 67. Ad quod tamen  
quid requiratur, docent idem Myns. 2. obs. 24. & Gail. 1. obs. 28. n. 3. add. Ord.  
Cam. p. 2. t. 26. vers. das recht kündlich versagt.

XXVIII.

Fallit etiam si consuetudine aliud observetur ex c. Romana. 3. S. de-  
bet. de app. in sexto, Myns. 1. obs. 67. in fin. Marant. in spec. aur. part. 6. de  
Appell. n. 374. & seqq. Bredeyod. part. 1. tit. 18. pag. 205. Item si perso-  
na sit privilegiata. Sic studiosis speciali Imp. privilegio concessum ut om-  
missis inferioribus judicibus ad ipsam Imperatoriam Majestatem appel-  
lare possint, statuunt Bald. in Auth. Habita. C. ne filius pro patr. num. 29. &  
Marant. d. loc. n. 372. per ipsum text. d. Auth. Quod tamen in desue-  
tudinem abiisse testatur omnium rerum magistra experientia.

XXIX.

Nonnulli etiam Principes certo privilegio gaudent, ut ab illis infra  
certam summam & causæ quantitatem appellatio non detur, sic ab Illu-  
striss. nostris Ducibus Brunswicensibus ac Lunæburg: hodie infra sum-  
mam mille aureorum Rhenanorum appellare nullo modo licet.  
Fürstl. Br. Lineburg. Hoffgerichts Ordn. Tit. 66. in pr.

XXX. Ad 3

A Domino feudi etiam gradatim ad proximè superiorem, Dominum scilicet, mediatum, appellatio instituenda est *arg. cap. un. vers. Quod si ter. 2. Feud. Tit. 22. add. Myns. 5. obs. 5. n. 5. & obs. 90. Hart. Hartm. 2. tit. 19. obs. 25. n. 2. & seqq.*

## XXXI.

Materia Appellationis in eo versatur, quod in quacunq[ue] causa & quolibet gravamine hodie licita censeatur, nō tantum enim in causa civili, si modo summa sit appellabilis. *Nov. 23. cap. 3. ibiq[ue]; Cujac. Ordin. Cam. part. 2. tit. 28. §. vñd sonderlich. sed & in criminali de jure Comuni appellatio est permessa, per l. non tantum. 6. ff. l. 6. §. 3. l. 12. l. 14. l. Et in majoribus 20. l. 29. & l. 30. in fin. C. de Appell. Gomes. var. resol. tom. 3. c. 13. n. 31. Myns. 4. obs. 41. pr.* Per inveteratam tamen Germaniæ consuetudinem in criminalibus non licet appellare. Quam consuetudinem approbat Ord. Cam. & non admittit appellationem in criminalibus, unde poena corpori impendet, *d. Ord. part. 2. tit. 28. §.* Item Nachdem auch Reichs Absch. zu Augsp. de anno 1530. §. Item Also jecht ehliche. *Frid. Mindan. 1. process. cap. 9. Gail. 1. de pac. publ. cap. ult. n. 36.* nisi ratione nullitatis processus appelletur. Hoc enim casu permittuntur appellationes, ut si contra quem non citatum, indefensum & absentem fuerit processum vid. *Ord. Cam. d. t. 28. §. 5. circ. fin. Gail. 1. obs. 1. n. 27. Myns. 4. obs. 42. Wurms. pract. obs. tit. 24. obs. 18. Boser. Class. 6. Disp. 34. th. 10.*

## XXXII.

Et licet jure Civ. à sententia interlocutoria regulariter appellatio non deur *l. 6. §. 3. l. 21. C. de app. l. 16. C. de jud. l. 2. C. de Episc. Aud. l. ante 7. C. Quor. app. non recip. Bach. ad Tr. vol. 2. Disp. 33. tb. 5. lit. E. F. & G.* Nisi damnum irrecuperabile contineat, vel vim definitivæ habeat *ut in l. 2. ff. de app. recip. c. Non solent. 30. §. ante. 2. q. 6. de Appell. l. 39. pr. & 7. §. 2. v. permittitur. ff. de minor. Ord. Cam. part. 2. t. 28. §.* Item als täglich/ & *Tit. 29. §. 3. & 4. It. part. 31. 31. S. vñd so ferne. Myns. 3. obs. 88. Gail. 1. obs. 130. n. 5. & 6. Wesemb. in w. h. t. n. 8.* Jure tamen canonico ut à quolibet gravamine, ita etiam ab omni interlocutoria appellari licere communis est opinio *c. super eo. 12. X. de app. cap. cum sit Romana. 5. eod. cap. signif. 36. Extr. de test. Durand. spec. lib. 2. part. 1. c. 3. n. 29. Gail. 1.*



obs. 129. n. 1. Ab interlocutoria sive statim, sive ex intervallo, semper ta-  
men in scriptis, quibus gravamina sive causæ appellationum omnes ido-  
neæ & justæ exprimantur, provocari debet, aliàs appellatio nulla erit,  
secund. *cap. cordi. 1. de app. in sexto. 6. ut debitus. 59. X. eod. Ord. Cam.*  
*part. 2. t. 29. §. Wo aber. Ordnung der Notarien de anno 1512. tit. ult.*  
*prin. vers. Aber in dem Fall/Peretz. in Cod. b. t. n. 20. Marant. part. 6.*  
*n. 138. A Definitiva verò sententia vivâ voce in continenti, aut ex inter-*  
*vallo in scriptis, causâ gravaminis etiã non expressâ, appellandi facultas*  
*datur l. 2. ff. l. 14. C. b. t. Schwannm. in process. Cam. lib. 2. c. 1. n. 9. & 10.*  
*Rosbach. Prax. Civ. cap. 73. num. 27. 41. & 47.*

### XXXIII.

Diximus supra th. 31. quod in quacunq; causa & quolibet gravami-  
ne hodie appellatio licita sit, Hinc occurrit quæstio: Num à sententia  
in causa momentaneæ possessionis lata ritè appelletur? Ad quam ne-  
gativè respondemus, per *l. un. C. Si de moment. poss. app.* Rationem  
præbet *Ord. Cam. part. 2. tit. 21. §. Ob auch / vers. als bald sum-*  
*marie drauff ohn einigen Gerichtlichen process. oder andere weitläufftge*  
*auffführung der Sachen zuerkennen &c. Item Fr. Dr. Hoffg. Ordn. tit.*  
*66. §. so setzen vnd ordnen wir. Wesenb. in w. de appell. n. 8. præcipuam*  
*rationem prohibitiæ appellationis assignat, quod talis sententia formam*  
*habeat interlocutoria, & quod injuria, per eam facta, possit in causa pro-*  
*prietatis citra appellationem emendari. Verùm rectiùs censetur causam*  
*prohibitionis non aliam esse, quàm quod judicium requirat celeri-*  
*tatem & brevitatem, quam admodum impediret appellatio d. l. un. C. Si*  
*de moment. poss. app. & Ord. Cam. d. t. 21. §. fin. Ubi enim res dilationem*  
*non recipit, ibi non permittitur appellare l. final. de appell. recip. Vid.*  
*Menoch. de ret. poss. remed. ult. quæst. 49. Carpzov. lib. 1. tit. 2. Resp. 44.*  
*n. 8. 9. 10. & seqq. Gail. 1. obs. 7. n. 7. Andr. Rauchb. Quæst. jur. Civ. &*  
*Sax. vol. post. Quæst. 6. n. 23.*

### XXXIV.

FORMA

Ad Formam appellationum tria potissimum notanda & obser-  
vanda. 1. Ut ritè, justo scil. ordine ac legitimo tempore interponantur,  
2. introducantur & 3. peragantur ac finiantur. Ordo justus in eo  
maximè consistit: ut sc. gradatim ab inferiore ad proximè superiore  
institui debeat, uti supr. ex definitione pluribus patet.

XXXV. Tem.

Tempus interponendæ appellationis jure veteri in propria causa Appella-  
fuit biduum, in aliena verò triduum *l. 1. §. biduum 5. ff. Qu. app. sit. l. 20. tionis in-  
§. 1. ff. & l. eos 6. §. 5. C. de app.* Hodie tamen jure novo tam civili terpo-  
quam Canonico, Item ex ordinatione Cam. Imp. est decendium *Aurb. nenda.  
bodie. C. de Appell. Nov. 23. c. 1. c. 15. X. de sent. & rejud. cap. 8. de appell.  
in sexto. cap. 28. 2. quest. 6. c. 36. X. de test. & attestat. Ordinat. Cam. part.  
2. 1. 29. §.* So sollen auch. Quod etiam observatur de jure Provinciali il-  
lustris. Ducum Brunsw. & Lunab. HoffgerichtsOrdn. *Tit. 25. §. Es soll  
aber keine Appellation. & Tit. 66. §. 1.*

## XXXVI.

Et currit hoc tempus à momento ad momentum, præsentis quidem  
à die latæ sententiæ, absentis verò & ignorantis à tempore scientiæ, arg.  
*l. 1. §. fin. ff. C. Quand. app. l. 3. C. quomod. & qu. jud. l. 4. de liber. caus.  
d. c. 8. de appell. in sexto. Gail. 1. obs. 139. n. 7. & 8. Myns. 2. obs. 2. Wurm-  
ser. tit. 24. de app. obs. 1. & 2. Rosbach. in process. jud. tit. 73. de app. n. 24.  
Nec partium consensu, vel judicis autoritate hoc fatale prorogari po-  
test, secundum *Gail. d. obs. 139. n. 6. & obs. 140. n. 3. Myns. 2. obs. 68. & 3.  
obs. 11.* Et per expressum textum ordinationis *Cam. part. 2. d. tit. 29.  
§. So sollen auch &c.**

## XXXVII.

Interposita appellatione petendi sunt apostoli, seu libelli dimissorii  
Germ. Abschiedes Briffe/ab eo dicti, quod causam à judice inferiore ad  
superiorem deferant *l. un. C. de libell. dimiss. l. 106. de verb. sign.* Tempus  
verò petendorum Apostolorum est spacium triginta dierum à tempore  
latæ sententiæ & scientiæ, intra quod legitimum tempus si non petierit  
apostolos appellans, vel non comparuerit ad illos accipiendos, appella-  
tioni renunciasse intelligitur *ex l. 18. l. iudicibus. 24. C. de app. cap. ab eo. 6.  
de app. in sexto. Quæ est communis Dd. sententia & approbata à Gloss.  
in d. l. un. ff. de libell. dimiss. in d. cap. ab eo. 6. de app. in sexto. cap. quamvis 2.  
in Clement. d. 1. Myns. 4. obs. 36. Wurms. lib. 1. pract. obser. tit. 24. obs. 23.  
Marant. Spec. part. 6. h. t. n. 219. Petr. Gregor. Thol. de app. cap. 7. n. 1.  
Et petitio hæc institui debet uno contextu, hoc videlicet modo: peto in-  
stante, instantius, instantissime, Bitt vnd begehrt fleißig / fleißiger / vnd  
zum allerfleißigsten / vel Ernstlich / ernstlicher / vnd zum aller ernstlichsten /  
B 3 ac si*

ac si non accipiat, id ipsum contestetur *Gloß. ad d. cap. ab eo. 6. verb. instan-  
titer. de app. in sexto, Boter. clas. 6. Disp. 34. ib. 30. Wesemb. in w. de  
libell. dimiss. n. 4.*

XXXIX.

Hodie tamen ex observantia Camerae petitio apostolorum in mero  
appellantis arbitrio sita est, aded ut impunè etiam omitti possit *Ord. Cam.  
part. 2. tit. 30. in pr.* Constitutione enim Imperii non admodum neces-  
saria est, *Gail. 1. obs. 139. n. 15. Myns. d. obs. 36. part. 4. in fin.* Sic hodie  
in judiciis inferioribus plerumque sufficit appellationem fuisse interpo-  
sitam coram Notario & testibus, hoc enim facto statim devolvitur ad su-  
periozem. Species sæpe dictorum apostolorum recenset Rosbach. in  
processu suo judiciario *tit. 74. n. 4. 5. 6. & 7. Eberhard. à Mittelb. process.  
jur. cap. 35. v. ut infra.*

XXXIX.

Introdu-  
cendæ.

Introducendæ appellationis tempus, Germ. die appellation anzu-  
bringen/ vnd durch wiederbringung anhängig zu machen/ cum jure ci-  
vili certum constitutum non sit, arbitrio judicis relinquitur, qui ratione  
circumstantiarum certum tempus & diem ad eam introducendam con-  
stituit, *Gloß. ad l. præses. s. verb. prescriptum est. C. de app. per l. i. §. 2. ff. de  
jur. delib. cap. personas. 4. extr. de app.* Secundum ordinationem *Cam.  
Imp. part. 2. t. 30. princ. & §.* Würde aber durch den Richter & §. Vnd  
so also/ appellatio intra duos, tres, vel sex ad summum menses, à tempore  
interpositionis computatos, introducatur, in causis spoliatorum tres sal-  
tem menses concedit *d. Ord. Cam. par. 2. tit. 8. §.* Wo aber der beklagte.  
Potest tamen terminus ille sex mensū ad probationem iusti impedimen-  
ti prorogari *Reichs Absch. de anno 1594. §.* Als sich auch. Intra quod fa-  
tale nisi appellans processum vel ipse vel per procuratorem reprodu-  
cat & præsentet, iudex à quo sententiam priorem exequi potest & appel-  
latio habetur deserta *Clem. si appellationem. de App. Gail. 1. Obs. 137. & 1.  
obs. 140. n. 4. Ord. Cam. d. loc.*

XL.

In Ducatu nostro Brunsw. & Lunæb. intra tres menses introducen-  
da est appellatio, ab eo tempore, quo est interposita. Quo termino e-  
lapso, si appellans justificationem non obtulit, appellatus vel potest pe-  
tere executionem coram iudice inferiore, vel à superiore ob desertam  
appellationem remissionem ad exequendum prius iudicatum petere *St.  
Br. Hoffgerichts Ordin. Tit. 25. §. vnd ein jeder/ & §. seq.*

XLI.

Prosequen-  
dæ & fini-  
endæ.

Ultimum denique prosequendæ ac finiendæ appellationis tempus  
de jure civili & Canonico est annum, ex certa tamen & probabili causa  
bienni-

biennium autb. *Ei qui. l. ult. §. illud 4. C. de temp. & repar. appel cap. cum sit Romana. s. c. 8. & 17. §. licet. X. de appell. Clem. sicut. eod. tit. Nov. 49. §. 1. princ. Gail. 1. obs. 141. prin. Schneid. ad §. Sed & si qui Inst. quib. mod. test. infirm. n. 7. Et currit in iudicio statim à tempore interposita appellationis, extra verò à die illati gravaminis d. *elem. sicut. l. 2. ibi: post appellationem C. de temp. app.* Quo tempore decurso, si appellationis causa non sit finita, sententia prior robur suum & effectum, ac si nunquam fuisset appellatum, retinet *supr. all. Aut. Ei qui C. d. temp. app. It. l. 2. l. fin. §. illud. 4. vers. jubemus eundem. C. dict. titul. Speculat. de appell. §. Nunc breviter. Myns. 6. obs. 12. n. 6.* Hujusmodi autem fatalia prosequendarum appellationum in Camera Imp. hodiè non attenduntur, sed lites semel ibi introductæ perpetuantur, ac, proh dolor! ultra hominum ævum quam sæpissimè protrahuntur *Gail. 1. obs. 141. n. 7. Myns. 6. obs. 12. n. 6. & 2. obs. 48.**

XLII.

Et quamvis elapsis fatalibus deserta sit Appellatio, certis tamen casibus hoc non procedit ut si ex partium voluntate terminus prosequendi appellatione prorogetur, tunc enim ultra biennium prout partibus placuerit, durare potest, quia dictus terminus prorogari potest tam per compromissum, quam aliàs per consensum partium, *Myns. 2. obs. 68. Autb. si tamen. C. de temp. app. l. ult. §. fin. C. eod. ibi; Bald. col. 1. Clem. quamdiu de app. Nov. 93. c. 1. Gail. 1. obs. 140. n. 8. & obs. 141. n. 6. Marant. part. 6. n. 126. & seq.*

XLIII.

Deinde etiam non procedit, si ob nimiam paupertatem quis impeditus fuerit, quo minus appellationis fatalia tite observare & causam interea terminare vel legitime prosequi potuerit, nec hoc, inquã, casu appellatio pro deserta habetur, ob favorem sc. paupertatis: quia pauperi in Camera fatalia non currunt, secund. *Gail. 1. obs. 142. n. 1. Myns. 5. obs. 98. n. 2. l. 2. §. 8. circ. fin. ff. Mandat. Ratio, quod paupertas hoc casu impossibilitatem introducat, & impossibilium nulla sit obligatio arg. l. Impossibilium d. R. I. Petr. Greg. Thol. de app. lib. 6. c. 10 n. 12. Mejer. in colleg. arg. l. 49. tit. 4. n. 16. Cornel. Benincas. de priv. paup. quest. 7. Rubr. Tertium speciale. n. 14.*

XLIV.

Finis Appellationum communiter statuitur, ut per eas sententia in *Finis.* justè lata in melius reformatur *l. 1. pr. ff. h. t. Wesemb. in π. eod. n. 10.*  
Verum

Verùm cum sententiæ quandoq; reformatione non indigeant, re dñg di-  
ci putamus, finem appellationis esse, ut per eam sententia in inferiori ju-  
dicio lata vel confirmetur, vel rescindatur *l. 32. §. 3. C. de app. arg. d. l. 1. pr.*  
*ff. eod.*

XLV.

*Effectus.* Effectus Appellationum Principalis est, quod per eam prior senten-  
tia suspendatur, quodq; cessare faciat officium iudicis à quo, & quasi ma-  
nus ei liget, ut ulterius ad aliquè actum in ista causa progredi nequeat *l. 32.*  
*§. 3. C. de App. l. 12. pr. C. de reb. cred. l. 6. §. 1. de his qui not. infam. l. 1. pr. & §.*  
*1. ff. Nihil innov. app. pend. l. 3. C. b. s. Wes. in π. h. t. d. n. 10.* Si verò pen-  
dente appellatione quid innovatum attentatumvè fuerit, id per appel-  
lationis iudicem rescinditur *d. l. 1. ff. Nihil innov. cap. Non solum. 7. ibiq;*  
*Gloß. de app. in sexto. c. significantibus 49. c. bona memoria si. X. eod. tit.*  
*Nov. 134. in fin. cap. 3. l. 7. circ. fin. ff. de munerib. & honor.* Ab interlo-  
cutoria tamen simplici facta appellatio non prius impedit, quo minus ad  
ulteriora procedat iudex à quo, quam per iudicem, cognitã gravaminis  
veritate, ob quod appellatum est, fuit inhibitum. *d. c. non solum. 7. de*  
*App. in Sex. Gail. 1. Obs. 144. n. 4.*


XLVI.

Ne a beneficio hoc quis malè utatur, pœna temere appellantis Jure  
Civili statuta est 50. librarum argenti *l. ab executione. §. in fin. C. Quor. app.*  
*non recip. l. 2. C. de Episc. aud.* Quamvis antea arbitrio iudicis pœna hæc  
commisã videatur *l. eos. 6. §. ne temere 4. C. de Appell.* Si verò de appellati-  
one non recepta quis conqueratur, & tamen injustè appellasse deprehen-  
datur, lite perditã, infamiã notatur *arg. l. 19. C. de app.* Jure tamen Canoni-  
co temerarius appellans in expensas tantùm damnatur *c. 26. c. ut debitus*  
*59. X. de app.* Ex Ordinatione Camerali *part. 2. Tit. 28. §. darzu die weil.*  
non modò expensæ refundendæ, verùm insuper præter expensas, pro ra-  
tione causæ ac personarum qualitate, certa adhuc pœna decernitur *d. §.*  
*darzu. in fin. Gail. 1. obs. 152. num. 8.* Hodie in iudiciis nostris moris est, an-  
tequã processus decernuntur, ut appellans juramentum appellationis &  
cautionem de sumtibus litis præstet, uti testatur Mynsing. *1. obs. 6. Fürstl.*  
*Br. Hoffgerichts Ordn. tit. 66. §. 1. v. vnd über das dem Appellaten giug-*  
*sam caution vnd sicherheit & c. l. tit. 77. circ. fin.* Sed ne limites excedere  
videar, hîc filum abrumpo ac instituto finem pono.


Deo Uni & Trino, studiorum meorum Directori sit laus,  
honor & gratiarum actio in æternum.

☉(\*\*)☉





the scale towards document



quando quis obscuro loco natus, fraudu-  
 tatione, nobili alicui familiæ se infere-  
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-  
 familiæ, nobilibus pecuniam, vel aliud  
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.  
 1615. vagabundus quidam homo cõ-  
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-  
 cupans, & ex familia illustri Græcorum  
 jactans, adjumeto intercessionũ, quas  
 tẽ impetraverat, in plurimorum prin-  
 s, & civitatibus ingentem pecuniæ  
 & emendicavit; cui postea, ob delicti  
 pœnam dictaverunt Scabini Lipsien-  
 no 1629. Mens. Martio fœminæ cui-  
 , ex nobili familia se natam & bonis  
 mutato nomine à Nobilibus pecuni-  
 , pœnam temporalis relegationis in-  
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*  
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-  
 u assumpto nomine Advocati cujus-  
 ejus publicè jactaverat, quem postea  
 iudicæ Senatus virgis coedi, & exilio  
 tinent & huc exempla relata à *Valers*

XVI.

us est, quando quis, personã sua pla-  
 en suum mutat, & se pro alio suppo-  
 ma apud Historicos aliosq; scripto-  
 inter quæ notissimum est illud Plau-  
 ptã forma Amphitruonis, adversus  
 nocte quadam, velut è bello rever-  
 ncubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4